



**Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1682**

20. Dies Decemb. Illa est vita hominum, ubi est lumen verum, quod illuminat omnem hominem. S. Augustinus annot. in Joh. c. 10.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

decemb.

Tessera.

1019

& metâ destitutus non sistit nec resilit; sed demum finitus, in spatio infinito evanescit: & quo vergat, nescit. Non offendit in Tे terminum, undē se reflestat; sed nec varietatem aliquam, per quam à rectitudine ardoris sui infractus feratur. Solis radius illapsus aëri, quanquam per illum se penetrat; quia tamē à puro & there intensius elementum incidit, à recto suo tramite aliquantum inclinatus desciscit. At amor meus, per simplicissimam naturam tuam progressus, omnesque perfectiones infinitas offendens; nullam causam nanciscitur, ob quam flammæ suæ in Teamando lapsum etiam modicè inclinet. Itaque modus, & motus amoris mei sit unica tua voluntas: solumque velim, quod tu ames; solum amem, quod tu velis.

*Quod cupis, ipse volo; quod non cupis, hoc quoq; nolo.*

## 20. DIES DECEMB.

Illa est vita hominum, ubi est lumen verum, quod illuminat omnem hominem. *S. Augustinus annotat. in Job c. 10.*

Christus, I.  
est lux  
mundi.

**S**ic se habet Deus erga genus humanum, & Christum: sicut oculus erga objectum suum, quod est, colores, & lux; sine luce omnes colores sunt inaspectabiles. Tollatur fons omnis lucis, Sol; & hortis venustas, nemoribus viror, cāpis amœnitas, palatiis splendor, mundo sua forma periit. Lux gemmis, lux floribus pulchritudinem præstat: à luce lmaragdus, & amarinthus virent; adamas, & narcissus albent; hyacinthus, & crocus flavescent; pyropus, & rosa purpurascunt. Sic Christus, lux mundi, facit,

ut

1020      *Christiani Militis*      Decemb.  
ut Deus respiciat homines aspectabiles jam , & accep-  
tos illi; qui pridem in tenebris , & umbra mortis ja-  
cebant. Lumen est primum , & maximè visibile : per  
illud, reliqua videntur ; & solum videntur, quia illud  
participant: nam cum luce, aut in luce, aut per lucem  
colores videntur; in colore, lux; cum oculo, lux: per  
medium aerem, lux est. Ita Christus est, quod oculis  
Divinis primum , & maximè visibile est : cæteri ho-  
mines solum, quia participant Christum, per ipsum,  
cum ipso, & in ipso videntur : ipse nos reddit aptos,  
& dignos ejus oculis. Tota gloria, & gratia colorum,  
lux est, lucis beneficium est : tota gloria, honor, &  
gratia huminum, Christus est, Christi beneficium  
est. Noctu, res pretiosissimæ , quia non videntur,  
nullius videntur esse pretii : perinde sunt , ac si non  
essent. Ita sine Christo, castitati nitor, fortitudini  
decus, Modestia gratia, Prudentia fulgor, Pie-  
tati meritum, Spei præmium , fidei utilitas occu-  
buit.

II. Sine luce, pulchra, & deformia, æqualia sunt:  
sine gratia Christi, perinde est acre, & subtile inge-  
nium, ac bardum, & hebes. Reliquæ naturæ, artis,  
diligentia dotes, tantundem sunt, ac si nihil essent.  
Lux , anima est colorum : sine qua illi non magis  
quam umbræ resplendent. Et Christus anima est  
virtutum ; sine qua illæ ut Larvæ mortuales pallent.  
Christi gratia , omnibus animi dotibus venustatem  
accersit : Ab ea speculum accipit Prudentia; libram  
Justitia; columnam fortitudo; frænum , & mensu-  
ram Temperantia. Cœlum, & Sol beneficus est per  
lucem duntaxat , per quam omnia operatur : Sic  
Deus, solum per Christum beneficia sua largitur.  
Cœlum

decemb.

Tessera.

1021

Cælum non admittit aliam qualitatem simplicem ex nostris, nisi lucem: ita neque in cælum ascendet homo; nisi in quem Christus splendeat: neque oratio benè admittetur, in qua Christus non sonet. Inter humanas opes, nihil pretiosius gemmis habetur: gemmarum autem pretium, & taxationem, lux, & splendor auget: tantò quæque pluris æstimatur, quantò plus fulget. Indè gemmarum primas Carbunculus, quia cæteris claritate prænitet; & earum luci, sua luce obscuritatem adfert, maximi est pretii. Inter res omnes conditas, illæ sunt pretiosissimæ, quæ rationis, & intelligentiæ sunt capaces: harum porrò valorem, amor in Christum auget. Quò magis Christum amat, eò pluris à Deo æstimatur. Sol, inter planetas; oculus, inter sensus, regnum obtinent: quia ille lucis est parens; iste, lucis hospitium. Et cor, inter membra principatum gerit, quia Amoris est regio, imò regia: sed veluti Sol, quo formosior est, cùm pure luce nitet, eò est horridior, cùm subeunte lunâ defectionem patitur. Ita cor, quò luculentior ejus est species, cùm amore Christi illustratur; còturpius squallet, cùm infusis peccatorum umbris, Amori eclipsin accersit.

III. Quid adhuc humana gaudia, tanquam nocturna sidera fulgore exili, & ad diem invehendum nihil profecturo, cordi meo irradiant? Quid aspicio in nocte mundi istius, hæc bona mortalia, quæ tenui hinc iadè luce conspersa scintillant tanquam obte-nebrati cæli imagines, quas aurea quædam stellarum, umbris interludentium, puncta insigniunt, ad quorum tamen emicantem fulgorem, mundus diem admittit? Quid, me Andromada aliqua, aut Cassiopea,

in

1022 Christiani Militis Decemb.  
in observando oculorum suorum fidere fixum, immo-  
tuinque detinet? Quid, me alicujus Berenices  
coma illaqueat, Quid, me corona honoris, fulgore  
suo percellit? Quid me voluptatis Lyra tam blan-  
dè demulceret? Quid me auratus divitiarum Aries,  
suâ luce perstringit? Quid hæreo in Pegaso humana  
eruditionis? Ah junge currum Sol justitiae Christe,  
Sol meus! indue rutilantes crines; diffunde radios, &  
flammatibus rotis invehere in cælum cordis mei:  
omnesque illas, quas enumeravi, exiguae sanè lucis  
guttas, exuberantis fulgoris tui mundatione ab-  
sorbe. Tum etiam cæteros affectus; qui tanquam  
planetæ, vago, errantique cursu, in animo meo lu-  
cebant, tuâ claritate extingue: & effuga à me Satur-  
ni pigritiam, Jovis superbiam, Martis iracundiam,  
Mercurii fallaciam, Veneris lasciviam, Lunæ levita-  
tem. Exorere, ô Sol meus, supra horizontem cordis  
mei, & terrificas timoris mei umbras expelle! Quid  
sunt stellæ, sine luce; nisi informes globi? quid sunt  
virtutes, sine gratia tuæ lumine; nisi deformia vitia?  
Da mihi amore tui lucere, & ardere, ô amor meus!  
ardor meus! ô lux mea! ô Deus meus!

*Lux decorat flores; sic Christi Gratia mores.*

## 21. DIES DECEMBER.

Eamus & nos; & moriamur cum illo. *Ioan. II.*

Laus S. I. Thomæ.

**P**Ræmittimus Christo volenti pro  
nobis nasci, Thomam volentem  
pro Christo mori. Hæc pauca  
impavidi Thomæ verba; quem-  
cunque etiam infantem, redderent verbosissimum

Ora-